



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Antidota Evangelica Contra Horvm Temporvm Hæreses**

In Qvibvs Quatuor Euangeliorum illi textus explicantur, quibus vel hæretici hodie (maximè Caluinus & Beza) ad sua dogmata propugnanda vti solent, vel ad hæreticorum dogmata impugnanda Catholici vti possunt

**Stapleton, Thomas**

**Lvgdvni, 1595**

12. Sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-39463**

voluntati conformare, nec sufficit hoc voto restari, aut odio ac tristitiæ illis esse quòd Dei voluntatem in omnibus non faciunt. Non enim hoc perfectionis est, sed necessariæ rectitudinis. *Dei enim voluntas sanctificatio nostra est, quam omnes in baptismo acceptam seruare possunt & debent. Dei voluntas est, vt eius mandata faciamus. Hæc est charitas Dei, vt mandata eius custodiamus, & mandata eius grauiam non sunt. Quid est diuinam Scripturam, & vniuersa Dei mandata contempere, peruertere, inania & irrita reddere, si hoc non est?*

1. Theff 4.

1. Ioan. 5.

12. *Sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.*

**H**anc quoque Scripturam nefariè corrumpit Calvinus, & pactum atque conditionem à Christo appositam audacissimè conuellit, quia talem conditionem suæ soli fidei iustificanti ex diametro repugnare videbat: *Venia (inquit) quam nobis dari petimus, ab ea quam præstamus alijs non dependet: sed hoc modo ad remittendas omnes offensas hortari nos Christus voluit, & simul absolutionis nostræ fiduciam quasi impresso sigillo melius ratam facere.* Hæc ille. Vult homo impius charitatem proximi & mutuam ignoscentiam non aliquam esse conditionem remissionis peccatorum necessariam, sed ad eam tantum hortari nos Christum quasi ad certam notam filiorum Dei, vt in sequentibus magis explicat, quam hic sigillum impressum vocat. Cæterum sequentia statim Christi verba aliam illum cantilenam canere coegerunt. Ad illa enim sequentia verba, *Si non dimiseritis hominibus, nec Pater vester dimittet vobis debita vestra,* ita scribit Calvinus. *Non alia lege ad veniam nos admittit Deus, nisi fratribus ignoscimus quicquid in nos peccauerint.* Hæc ille. Si ergo lex hæc est sine qua Deus non remittit peccata, profectò obligat tanquam necessaria conditio; & venia à Deo danda dependet ab ea quam proximis præstamus, nec nota tantum est aut sigillum ali-quod factæ aliunde remissioni accedens, sed vna causa sine qua non fit remissio, & ad illam faciendam disponens: depi-que non est exhortatio tantum ex parte Christi, sed planè præceptum, vt alibi frequenter inculcat. *Hoc est præceptum meum vt diligatis inuicem.* Notanda est hæc perpetua hæreticorum tergiversatio, qua omnes scripturas deprauant quæ contra solam fidem iustificantem faciunt. Reluctatus est hic Calvinus quantum & quam diu potuit. Sed in proxima sententia, euidentiâ veritatis conuictus, veritatem profiteri, sibi que ipsi contradicere cogitur.

*Tactum à Christo positum conuellit Calvinus.*

*Ignoscētia mutua ad remis. peccat. neces-saria.*

*Calvinus seipsum refutat.*

Ioan. 15.

*Hæretico-rum tergi-uerfario.*